


Per le opere di Studi eletto
nella Provincia Romana

NOVITIORUM MAGISTRO
MONITA



ARCHIVIO

ACM

3

1

147

PADRI SOMASCHI

CASA MADRE

SOMASCA



NOVITIORUM

CONGREGATIONIS SOMASC. MAGISTRO

MONITA

MAURITHI DE DOMIS PRAEP. GEN.

EIUSDEM CONGREGATIONIS.



VENETIIS

EX TYPOGRAPHIA GASPARI IMPR.

MDCCLXV.

ANSWER

CONCLUDING REMARKS

АРИОМ

ZID: 94001 24500 34 30000 120

www.ijerpi.org | 16 of 16



KIRKAWA

（五）文化政策研究

Opquaremus equidem, si humanae naturae conditio pateretur, ut aliquis humanum sere praetergressus fastigium, caelestem in terris vitam ageret, nostri Novitiis educandis, et imbuendis iuventutis eum virum praecipitem accersere, qui plane caelestibus esset virtutibus adornatus; aut in hinc ordinem suorum viatorum non erit admissus. Deposceret enim praestantissimum religiositate perfectionis institutum, vitam omnibus virtutibus insignem, et his anima dottiis conspicuum, quacumque humana sorte nobiliorem indicarent. Nam si regendis quibuscumque animalculis longe omnium praestantissimum hominem duxerem praeclitus, quidni ad gubernandos homines, ocelustis homo, et humana nobilitate excelsior, et excellētia praestantior esset advocandus? enim vero, si his praeceptionibus informare debet adolescentes, quibus per viarum veluti compendia ducantur ad caelum, et

iis virtutibus instruere, quibus praeulti divinis oculis placere possint, certe non solum omnium peritissimus, sed exultissimus esse debet. Hinc sapientissime magnus ille Basilius sensit, tum demum Monasterium optime se habere, cum Monacis praeficetur prudentior, et instituendae virtutibus iuventuti melior. Quamobrem in huiusmodi magistro eligendo, quam oculatissimi erunt Superiores nostri, ex qualibet enim mala alterius cuiuscunque officii administratione, temporale aliquod damnum, quod facile reparari possit, impendet, ex mala vero iuventutis educatione spiritualis imminet ruina, et huiusmodi malum, quod vix unquam queat profligari, latius quippe serpit, in posteros manat, totamque Congregationem in periculum trahit deplorandam, ac proprio occasu convolvit.

Novitiis itaque virtutibus informandis ii erunt praeſcendi, qui ſpectabilis vitæ, et probitatis inter nos trahentur. Quia vero, ut dicebamus, iſti plane divini, ac caeleſtes, esse non poſſunt, et homines cum ſint, aut humana prorsus dediſcero nequeant, et paſſiones conveſſere, aut omnia poſſint hauiſſe prudentiae p̄raecepta, ideo, ut optimam iuventutis in via Domini informandæ inēant institutionem, haec monita iuverit ſubieciſſe.

Novitiorum igitur Magister cum primis ſtudebit ſe humiliiter agnoscere, ut ſe ipsum diligenter executiat, propriosque defectus exploret; cognitio enim ſui ipsius maxime necessaria eſt aliorum curam gerenti. Nam cum alios corrigere debeat, a ſe ipſo ſunt prius ea omnia tollenda vitia, ac prorsus extirpanda, quorum voluerit alios coarguere, ne eadem ſibi exprebrentur, illudque evangelicum dictum obiicitur: *Quid vides festucant in*

oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? (Lucae VI, 41). Quin etiam Magistri p̄raeuentis exempla magis ad virtutem impellunt; et ad suadendum ſunt efficaciora. Iuxta illud philosophi dictum: longum iter per verba, breve et efficax per exempla; homines quippe amplius oculis, quam auribus credunt.

Ex hac ſuī ipsius cognitione duae p̄raecepit virutes emānabunt: humilitas, et mansuetudo, in quibus totius huius officii ſumma conſiftit, et optima, ac prudens iuventutis institutio inuitatur.

Mansuetudine primum opus eſt iuvenum p̄raeceptoris, ut nativos eorum defectus, pravas propensiones, et vitia naturae aequiori animo ſciat tolerare, eademque paulatim cum aetate crescentia, maxima comitate, et prudentia norit reſecare, non agresti modo, aut violento cum illis ageret; magis enim exasperant iuvenum animi ſaepe, tantum abeft, ut emendentur, severam adeo, ac rigidam disciplinam perosi. Quin non ſatis fidarent p̄raeceptoris iuvenili adhuc ſenſu vigente, et ſacculi reliquiis, quae tenacius adhaerent, obnitentibus.

Interdum erit illorum erroribus connivendum diſsimulandæ ſaepe iuveniles levitates: maxima dexteritate, et prudentia opus erit, ut ſciat comitate ſeveritatem condire, ne acerbitas ſeveritatis lenimen ſuperet comitatis, et plagam faciat ampliorem; quae aliquando placidis eſt lenienda verbis, aliquando acri reprehensione uteumque ſananda.

Detegendus vero erit Adolescenti ſuus morbus, ut ſuismet oculis videat, quam multis egeat medicamentis, quibus ab animi illa infirmitate convalescat.

Benignus, et facilis ſit Magister, et moribus, et natura, ut ſi aliquando, iuvenum irritantibus erroribus,

aerius, et vehementius sit in illos invehendum, se tamen semper ab ira prorsus alienum ostendat, et ab omni animi passione, quae suspectum cum reddat minus bene propenso, ergo illos esse animo: atque ita arguat, et corripiat, ut ipsorum se causa id facere plane compertum habeant. Cavent Magister, ne iniuriosis acerbisque in reprehendendo verbis utatur, ne eos a religioso suscepto instituto deterreat, sed suavi, miti, placida suasione ad virtutes invitet.

Mansuetudinem individua veluti comes sequitur humilitas, quae in Novitiorum Magistro adeo debet esfulgere, ut nihil in aliis virtutibus se profecisse putet, si haec sola desit, et alias minus splendescere, nisi humilitatis ornamentum adsciverint. Minime suae tantum prudentiae, aut doctrinae confidat; nam saepe expletiva compertrum est, viros alioquin doctissimos, maxime prudentiae, atque solertiae, instituendis Adolescentibus in iis, quae sunt pietatis, et spiritus, nihil, aut parum admundum profecisse virtute humilitatis absente; alios vero minoris scientiae, et doctrinae, sed humilitatis ornamento praestantiores in iuventutis educatione ista, quae ad pietatem, et spiritualem profectum promovet, uberrimos fructus attulisse. Apertissimum scilicet argumentum, hoc esse Dei, non *humanae prudentiae, ac sapientiae opus, qui humilibus adstat, et superbis resistit* (Iac. IV. 6).

Cum Saul asinas querens, se de tribu, et domo minima minimum prophetae Samueli declarasset; tum commodum rex Israelitiae gentis inaugurus; et sacerdos sancto est oleo inunctus (I. Reg. X); haud secus Magistrum Deus illuminabit, et ad informandam iuventutem efficiet prudentiorem, si de se humiliter senserit.

Charitate etiam erga Deum, et proximum praeferveat Magister Novitiorum, se divini honoris zelo, quam maxime perurgeri demonstret, se omnibus aequo comem, benignum, clementem praebeat, aequo omnes, quos pietate, et virtute informat Adolescentes, complectatur, et qui Patris Spiritualis personam gerit, rerum spiritualium studeat thesauros etiam cumulare, caelestesque opes adaugere, quas discipulis abunde ex aequo ardens charitate impartiat, ut eorum ratio postulabit, sive auxilio spirituali opus fuerit, sive consilio aliquo salutari. Quapropter eos quotidie Deo enixe commendabit, divina eorumdem necessitatibus occurrendi auxilia implorabit, S. Iobi imitatus exemplum, *ne forte peccaverint filii mei* (Job. I, 5). Quod si alicuius contumacia, et procacitate animadverteret, charitatem erga illum suo in corde defervescere, aut amorem imminui, opem statim divinam imploret, ne odium charitatem pellat, pro illo preces effundat, eritque paratus infirmitati commiserari, errorem condonabit, etsi exterius indignationem, et iram simularet, ut vel criminis admoneat, vel a contumacia deterreat.

Curet etiam quam maxime, ne alicuius spectabiles mores, praeclaraeque animi dotes, aut nobilis, ingenuaque indoles, pectori, ad eum magis amandum, quam alios, amoris faces accendant, aut peculiari in hunc magis affectu propendat; si vero in aliquem ob egregias virtutes propensioni se animo esse cognosceret, ne suam illam propensionem vel tantillum patefaciat; valde hoc enim suo muneri recte perfungendo obesset: personarum quippe discretio plurima inferre solet damna, tranquillitatem perturbat animorum, rumores, ac tumultus suscitat, obscurmurationibus ansam praebet, et prayas

gignit aliorum mentibus *suspiciones*. Enascentem igitur hunc privatum in aliquem amorem, et propensionem statim opprimat, et penitus confodiat.

Proinde aequitatem in dividendis muneribus, aut officiis servet, et ita indifferens sit Novitiorum rebus procurandis, ut quocumque tempore paratus sit, sive Deo, sive hominibus sui personeti muneris rationem reddere. Pervidebit idcirco sedulo, quod officium cuique conveniat, quodnam aptius munus. Crebro Novitiorum Regulas recolat, saepe instituta recurrat, ut si adverterit aliquid Adolescentes offendere, ac pracepta violare, sciat opportune occurrendo praestantissima adhibere medicamenta, nec ullum sinat praceptum negligi.

Praecepis iudicium, ac consilium cohipeat, ne cele-
rius, quam oporteat, proponendo, aut deliberando,
facti postea illum poeniteat.

Si naturali aliquo se vitio laborare compererit, studeat illud quantum poterit emendare, vel alia virtute compensare, aut ita obtegeret, ne prodat, et in actum erumpat. Si quando apud Superiorem Adolescentem errores deserre necesse fuerit, non amplificet, vel immi-
nuat culpam, sed candido, sinceroque animo factum enarrat; nihil autem deteget, quod ipsius fidei fuerit secreto concretum.

Atqui prudentiam eam in Novitiorum Magistro requirimus, quae possit esse quam maxima. Haec enim illum manu dicit, actiones dirigit, animi passiones compescit. Ex hac optimum iuventutis regimen, institutio, et aliorum moderatio pendet. Qua si quisquam destituatur, incredibile dictu est, quam transversum rapiatur, in eos labatur errores, qui vel a malesano homine essent metuendi.

Quam prudens enim, quam solidi animi, et multae experientiae, debet esse ille, qui subditus cum sit, aliis imperat inaequalibus aetate, varii ingenii, diversae naturae, et qui plerumque optimam, et religiosam disciplinam difficulter amplectuntur.

Quare ut diversitas erit ingeniorum, ita diversam adhibebit moderandi rationem; Adolescentulos admoneat susceptum habitum maturitatem quandam animi, et se-
veritatem morum secum asserre, eosque supra aetatem evehere, proinde superandam esse iuventutem moribus severioribus, dedecere multa religiosum virum, quae saecularibus honeste conceduntur; dimittendos esse pueriles ludos, gravemque; ac probata virilem per-
sonam induendam.

Quia vero iuvenilis calor difficulter potest deferves-
cere, eos externo aliquo opere, sed exigui laboris, exer-
cendo, occupabit, ut sit aliquid, in quo aetatis ardorem extinguant. Ubi aliquando ab oratione, aut lectione, aut spiritualibus exercitiis, iuvenilis quidam torpor: aut aliarum rerum appetitus remorabitur, iis studeat, ut sibi fidant, intima cordis aperiant, huiusmodi segnitiem pateficiant, ut principiis obstet. Quod ut facilius conse-
quatur, nonnihil indulgentius cum illis aget, honestaque alicui petitioni morem geret: et sic paulatim ad aliquam mortificationem eligendam illos disponet: nihil vero sinat agere extra obedientiam, quam admonebit esse divinis oculis acceptissimam, quae omnes religiosi viri actiones Deo gratias afficiat, et meritorias, quam-
quam in naturae necessitatibus sit illis indulgendum, dictante Apostolo, sive ergo manducatis, sive bibitis,
sive aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite
(I. ad Cor. X. 31).

Quos viderit grandioris aetatis, ita tractet, ut omnia eorum intima rimitur, et ponderet: serutetur, quo spiritu ad religionem inducantur, quod ex eorum simplicitate, et confidentia facile cognoscet. Iubeat eos interdum aliquid difficile factu exequi. Horetur, ut praesenti animo sint, et daemonis temptationibus strenue obluctentur, nec aegre ferant, si palam de eorum defectibus arguantur. Haec enim aetas solet esse vividior, et iracundior, subitisque animi motibus effervescere, ob malum saeculi habitum, qui eorum moribus inolevit quem partim castigando, partim adhortationibus conabitur prorsus abolere.

Alios vero, vel aetate matura graves, aut litteris, et officio insignes alia ratione reget, quos in duo genera distribuimus: aut enim res spirituales callebunt, aut erunt eorumdem prorsus ignari.

Si tantum erunt doctrina conspiciui, et scientia ornati, sed promptae, alacris voluntatis ad nostram vitae rationem suscipiendam, eos omnino prohibeat, vel legendu, vel disputando ostentare doctrinam, et ab omni munere amoveat, in quo possint suam scientiam patescere: quo nihil est rebus pietatis, et spiritus perniciosius; qui enim ita sunt affecti umbratilem tantum extrinseco habitu Religiosi viri faciam referunt, caeterum nihil veri Religiosi habent. Auctoritate enim ob doctrinæ, qua pollut, excellentiam, ea sibi licita esse existimant, quæ magnam tum creant in rebus spiritualibus oscitantiam, atque segnitiem, tum vero maxime Religiosum virum Christi imitationem profidentem dedecent.

Hoc nequissimo consilio plane usum humani generis hostem, ut primam illam absolutam, perfectamque D.

Francisci religiosam disciplinam, remitteret, illius cultissimi ordinis historiae testantur: ratus nimurum est fore, si huiusmodi viri docti vento scientiae inflati in eos ordines adscriberentur; ut ab illa severa disciplina deflecterent, et a suis institutoribus degenerarent. Quapropter ubi semel istorum doctrinæ, et scientiae Patres experimentum fecerunt, et plane cognoverint quantum emineant, crebris eos mortificationibus tentabunt; humillima videlicet, et vilia quaeque ministeria imponent: silentium illis opportune indicent: in spiritualibus collationibus iubeat Magister eos de rebus propositis aliquid edisserere: ex eo enim facile coniiciet, quantum in via Domini profecerint, vel retrocesserint. Istorum siquidem fermo, et ratiocinatio semper erit artificio quodam exulta, composita, limata, subtilibus e theorica petitis argumentis concinnata: omnem vero dabit operam Magister, ut practicam doctrinam moralem tantum afferant.

Si vero cum doctrinal summa: etiam pietatem habuerint coniunctam, et singularē morum probitatem: nullo pacto permittat superior eos professorum munia obire; nisi expressam facultatem admodum Rev. Praepositus Generalis concederit: invadet enim paulatim eorum animum quaedam titillatio, sibique blandientur, perinde ac si ad alios regendos fuerint a Deo accersiti in Congregationem, non ut regerentur: hi semper novi aliquid inducent eodem spiritu suggestente. Opportuna igitur hos adiuvandi ratio haec erit: maxima diligentia pervidere, et fervorem illum spiritus eum perfecta voluntatis coniungant abnegatione, et depuo parvuli evadant, amoto penitus fastoso illo doctrinæ tumore, et sui existimatione.

Curabit Magister, ut istos saepe mortificando, aliis praebeat mortificationis exemplar: offeret occasionem augendi spiritus fervorem, et constabiliendi eam practice virtutem, quam doctrinae preeceptis hauserint. Devitabit vero Magister omnes prorsus cum istis disputandi occasiones, omnemque aditum ostentandae doctrinae intercludet; saepe enim isti huiusmodi motibus excitantur; atque ad eo, quamvis non leviter esset in disciplinis Novitiorum Magister versatus, declinet omnes cum illis disputationum congressus. Nam huiusmodi disputationes daemonis quandoque dolo excitantur, ut superioris, vel contemptum in istorum animis creet, vel saltem observantiam imminuat: suapte enim natura suo quique ingento, sententiaeque arridet, et suam magni aestimat opinionem. Denique cum illis veluti cum Novitiis agatur, qui sunt rebus spiritualibus instruendi, et identidem mortificandi: non saeculi rebus, aut doctrinis exercendi. Compescat igitur, quantum poterit, hos ingentes spiritus scientiis tumidos: sed ea ratione, quam tempus, occasio, et prudentia dictabit.

Iam vero in omni rerum difficultate Novitiorum Magister ad orationem, tamquam ad praesentissimum omnium malorum remedium, confugiet: ea enim regetur, et veluti collyrio, oculorum lippitudo sanabitur, ut prudentius, quae agenda sunt possit prospicere. Hallucinatur enim saepe, qui sua tantum nititur prudentia, et experientia rerum, qui vero sibi minime fidens, urgente necessitate, divinum oratione auxilium implorat, caelestes haurit afflatus, quibus mens ad actiones dirigendas divino lumine illustratur: nullum autem est tempus, nulla adeo exigua necessitas, in qua orationis ope non indigeamus.

Quod est tempus, ait Pontifex Caelestinus, in quo orationis auxilio non indigemus? Quare cum viderit Magister se aliqua premi rerum difficultate, in Deo spem omnem ponat, instet, ut ait Apostolus, obsecrationibus nocte, dieque, et orationibus Deum (I ad Tim. V. 5).

Atque ut aliis sciat rectam pietatis, et spiritus augendi rationem aperire, et ad caelum viam comonstrare; eorum peritissimus esse debet, quae libri spirituales docent.

Primum igitur necesse erit diligentie lectione divum Basilius percurrisse, meditationes, confessiones, et maiorem partem operum divi Augustini perlustrasse; libros Morales divi Gregorii, divum Bernardum, opuscula divi Bonaventurae, Ugonem de sancto Victore, beatum Laurentium Iustinianum, sanctum Esrem, Blossum, Cassianum, Climacum, Landulphum *de vita Christi*, Thomam de Kempis, Gersonem, Dyonisium Cartusianum, et huiusmodi libros spirituales lectitasse; ex libris vero italico sermone conscriptis, Granatam, Avilam; Arias (*), divae Catharinae Senensis opera, et Sanctae Theresiae, Rodriguez *de spiritualibus exercitiis*, Platam *de bono statu Religiosi*. Vitas Sanctorum Patrum, quibus suam, Novitiorumque vitam conformet; et quoniam plura sunt de rebus spiritualibus volumina, quam quae hominis aetas legere possit, idecirco meliora, et utiliora seliget: iisque utatur ad Novitios pietate, probitate, et religiosa perfectione imbuendos.

Haec assidua orationis, et lectionis exercitia miri-

(*) Arias Montanus Benedictus, praeter alia, scripsit et monumenti dell' eterna salute.

fice Magistrum adiuvabunt, ac illustrabunt mentem, ut affectuum, et spirituum varietatem internoscat, et sciat quomodo se gerere debeat in singulis seorsum examinandis, ac solandis eum aliqua tentatione afflentur, quod frequentissime evenire solet. Atque cum magni Novitiorum salutis intersit, et recti regiminis ratio postulet, tollere quidquid pacem queat perturbare, et mutuae charitatis vinculum dissolvere: loquaces linguaſ quo-rumdam, et delatrices, discordiae semina inter fratres serentes compescat.

Hoc maxime invigilabit animo, ne inter Adolescentes ulli sermones habeantur, quam qui ad pietatem, et virtutem conferant, ut quaecumque rixandi, et detrahendi tollatur occasio, neve importunis, ac inanibus eloquiis spiritus elanguescat, quem pii sermones, et sanctum silentium accenderent.

At enim ut facilius, quo pede claudicent, quo affecti sint animo Adolescentes dignoscet Magister, aliquius Patris notae probitatis, et gravitatis opera utetur, qui per speciem Magistri severitatis arguenda, et de illius nimio rigore cum Iuvene conquerendi ab illo intimum animi sensum extorqueat, ut illius affectus, spiritus, devotio, et animi propensio perspicue cognoscatur. Caeterum hac in re, ut maxima prudentia opus est, et matura consideratione; ita Magister nihil temere agat, et exploratis internis Adolescentis arcanis, ea ratione morbo occurret, quam dictabit prudentia, et necessitas postulabit.

Quoddam tormenti genus, ut aiunt, est mensa, in qua vino et cibis animus factus hilarior, secretiora imprudens, et nolens consilia detegit, et intimas naturae aperit propensiones.

Idecirco in recreationibus praecipue, quae sunt extra Collegium ex cuiusque gestis, actionibus, hilaritate, levitate, modestia optime exploret, quo inclinent Adolescentum animi, et libentius ferantur eorum qualitates; mores, propensiones notet: et ubi adverterit aliquid corrigendum, in aliud tempus opportunum correctionem reiiciet, (nisi rei gravitas praesens remedium exigeret), atque ita clementer, et benigne enascenti morbo medeat, cum ipsi culpas ex more accusabunt suas, aut in sacello eodem vesperi coarguat, quidquid indecenter factum viderit.

Non sinat alterum alterius causae patrocinari, aut multo minus aliquem ex Patribus; hoc enim private amicitiae, secretaeque familiaritatis indicium est, quod quamdam in animis adolescentum generat audaciam, et maxime Praeceptoris imminuit auctoritatem.

Quod si contingerent, ut intima huiusmodi familiaritatis inter Patrem, et Clericorum aliquem iniretur, statim Magister eam deferat ad Superiorum, qui omni conatu tales amicitias dirimat, et perniciosissimae rei supprimat principia.

Enitetur vero Magister, ut inter Adolescentes honesta aliqua aemulatio excitetur, qua vehementius ad virtutem incendantur. Quod enim ipsa virtutis species et venustas, aut Superioris adhortationes, aut Praeceptoris monita non possunt, aemulatio plerumque consequitur.

Caveat quam diligentissime poterit, ne quid mali de se, vel imaginantes, suspicentur; proinde quemque coram omnibus alloquatur, aut audiat; et ita omnibus se gerat actionibus, ut imprudentiae argui non possit. Libenter audiat superiorum documenta, et consilia aequo

animo complectatur: eorum siquidem consilio, et voluntati si, veluti divinae, obsequetur, nequaquam fallet unquam, vel offendet: contra vero si sua tantum nitatur prudentia saepissime prolabetur.

Quascunque suas actiones ita ponderabit, ac dirigit, ut a nemine possit reprehendi: cautissimus scilicet sit in omnibus, et suspenso, quod aiunt, pede incedat. Numquam iratus quempiam aut arguat, aut corripiat: si tamen res tulerit, crimen disserendo amplificet, et graviori urgeat reprehensione, qua non se ira commoveri, sed ipsius, quem reprehendit, salutis causa, et communis commodi zelo praesefaret necessitate se compulsum corripare, ut deinceps huiusmodi culpas studiosissime declinet: hac ratione adolescentes delicta cognoscent sua, et aequiori animo multam subibunt. Nunquam leviores errores severiori poena castiget; nam facile a se adolescentum animos ita abalienabit, ut ipsius agrestem inclemantium perosi, respuant postea, quam adhibebit medicinam. Sunt plerique tantaे dexteritatis, et prudentiae, ut dum poenam augent, maiorem etiam erga se amorein concilient, et dum aerius invehuntur in Adolescentes, maiori ab ipsis observantia colantur. Alii vero contra, sive agresti natura, sive rerum imperitia, ita difficiles, et morosi sunt, ut omnes eorum actiones, verba, reprehensiones etiam lenes Adolescentes exhorrescant.

Quamobrem sit omnibus benignus, clemens, facilis, urbanus, non solum quo sibi magis fidant Adolescentes, sed etiam, ut maiorem deferant honorem, cuius parens, et nutrix est Adolescentum benevolentia.

Sed haec, et alia Praeceptoris Novitiorum gravissimo muneri utiliora consilia, et monita, quae longum

esset recensere, vel ipse experientia, vel oratione, ad quam saepe confugiet, et maiorum hauriet ex monumentis.

DE IIS, QUAE MAGISTER NOVITIUM

DEBET EDOCERE.

Tam verum esse illud Apostoli dictum, quam optimum, saepissime reipsa comprobatum est. *Nolite errare, Deus non irridet virum, quem enim seminaverit homo, haec et metet* (Ad Gal. VI. 7, 8.); perinde ac si diceret: nemo sibi persuadeat se aliquem finem assequuturum, nisi opportunis, et accommodatis ad finem mediis utatur, talis erit messis, qualis extiterit sementis.

Itaque cum vehementer optemus nostrós Novitios tales evadere probationis anno, ut nuncupatis votis optimi sint professi: Magister iis virtutibus illos informare debet, quarum ope in vinea Domini strenue adlaborent.

Hoc discriminis inter morales scientias, et speculativas intercedit, quod istae: commentatione tantum, et contemplatione comparantur, illae vero, nisi actionem coniungas, et usum, minime perfecte condiscuntur. Dabit igitur impense operam Magister, ut Novitiis in iis virtutibus e morali philosophia petitis se maxime exerceant, quibus illos informabit.

Illud vero conabitur cum primis ostendere, quantum divinae debeant bonitati, quod eos suo numine mi-

sericorditer adeo afflariit, e mundo selegerit; praerogativa magno reponenda loco, beneficium tam insigne, vix minimae Christianorum parti concessum.

Quantum aegre patiatur Deus, eos tanto abuti munere vocationis, et beneficio plane caelesti; maximam tanto beneficio iniuriam irrogari obnunciet, si non celeri gradu ad perfectionem, et virtutis fastigium emitantur.

Saepe proponat Congregationis instituta, regulas, ut eas non solum memoriae commendent, sed etiam quodam amore, et pietate, vel sacrosanctas colant, hilarique animo complectantur, futurae veluti sua^e sanctitatis instrumenta, et praesidia ad aeternam felicitatem comparandam firmissima: *custodi legem alique consilium, et erit vita animae tuae,* inquit Sapiens in proverbiis (*Prov. III. 21*).

Hortetur etiam, ut quamcumque constitutionem, etiam de re minima, diligenter servent; a minimis enim incipit daemon religiosam disciplinam laxare, ut paulatim, ac sensim ad graviora transgredienda pertrahat, nec minori criminis dabitur a Deo negligenti. Religioso minima, quam maxima non custodivisse. Inquit enim D. Bonaventura, minima neglecta eo turpius maculum moribus ingerunt, quo vitari facilius cognita potuerunt: solutio legum minimarum maximas etiam dissolvit: *et qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est* (*S. Luc. XVI, 40*) testatur divina Veritas: quamobrem si perfectioni inhiant, de rebus quoque minimi momenti solliciti laborent.

Sed difficilius est eorum mentibus devotionem, et pietatem inserere, utpote qui e saeculo recens venerint ad Religionem.

Quare studebit Magister diligentius, ut devotionis studio se totos dicent, ex quo propediem reliquias virtutes acquirent. Quod si aliquis erit, qui ultra communes orandi, aut psallendi horas maiori orandi desiderio teneretur; indulgeat huius, si expedire viderit Magister, piis votis, ni tamen domestica exercitia impediantur.

Verum eam praesertim orandi rationem edoceat, quae, quia subitis affectibus incitati, divinum cor, repentinis veluti ex arcu emissis sagittis eiaculaatur, iaculatoriae orationis nomen sortitur. Hoc enim orandi genus non solum conservat, sed etiam auget devotionem.

Doceat Novitios suos modum orandi, rationem conscientiae examinandae; moveat intimos animi sensus esse retegendos; declarat undenam mentis distractiones orientur: ea denique omnia accurate patescat, quae ad fervorem spiritus, vel acquirendum, vel augendum pertinere videbuntur.

Adultiores, et provectiones aetate maiori indigent cura, et studio, ut qui ingenio sint vividiori, et fervida aetate afflictentur; nec ita faciles sint ad secreta animi arcana pandenda.

Quare oculatus, et cautius cum iis agendum erit, et maiori industria erunt adiuvandi; non sinat eos Magister suis obtegendis consiliis assuescere; facilius si quidem a daemone decipiuntur, cum in via salebrosa, et difficiili ductore careant; et si quis (ut diximus cap. VI de obedientia) patescere conscientiam suam renuat, cum puniat; ea tamen ratione, ut sui ipsum erroris poeniteat, non augeat indignationem: in quo magna prudentia et dexteritate opus est, ut quae difficultia sunt et maxime displicant, quale est sua arcana ex intimo

corde refodere, fiant suavia; et ulti appetantur. Eos doceat quomodo possint e piorum librorum lectione spiritus fructum haurire; moneat, ut praeparent mentem quotiescumque ad spirituales exercitationes accident.

Plurima edisserat de obedientiae virtute, longius in illa laudanda provehatur.

Et quia longe efficacissime exempla suadent, nunquam in more illi sit dicere, **FACITE**, vel **FAC**, sed faciamus, et se prius operibus accingat, primus labores suscipiat. Si enim primus, datis signis, in chorum, in capitulum, in triclinium venerit, erubescunt discipuli se Magistri promptitudine argui inertiiores. Doceat, inquit Laurentius Iustinianus, magis vita, quam verbis; ipsius mores subiectorum documenta sint. Haec confirmet Sanctorum exemplis, illudque D. Gregorii subnectat; obedientia sola virtus est, quae virtutes caeteras menti inserit, insitasque custodit. Demonstrabit maximo hanc apud Deum loco esse virtutem obedientiae, cuius actus plurimis, et iis maximis rependit beneficiis. Nullam vero religiosum virum adquirere perfecte virtutem, sine huius coniunctione, et adminiculo, vel posse diutius animo insidere.

Iam vero duas in partes D. Bernardus, quod magni intererit Magistrum advertere, virtutem obedientiae distribuit. Aliqua enim fiunt permittente Superiorum obedientia, aliqua iubente Superiorum obedientia. Maioris haec semper sunt meriti, prima suspectiora; in his enim nostrae voluntati obsecundamus, immo ipsam nostram imperantem voluntatem sequimur, et, ut ait D. Gregorius, obedientia tunc velamentum quoddam malitiae est. Sincerius vero in aliis, quibus ipsam Superioris voluntatem praeerunt sequimur, obedientiae virtus appetet.

Gradus obedientiae declarat, persaepe Novitios aliquibus difficilioribus, et perarduis actibus obedientiae tentabit; non quidem illis insignioribus, et mirificis, quorum olim Sancti Patres absolutissimae obedientiac, et sanctitatis exempla nobis admiratione quidem digna, non tamen inconsulta imitatione reliquerunt. Quo vero magis minora imperarit facienda, eo magis promptam ad obediendum eorum voluntatem explorabit, intelligentque quanti aestiment virtutem obedientiae, quamve superiorem revereantur.

Ad caeteras etiam virtutes comparandas Adolescentes, inflammet, quae quia nonnisi diurno tempore acquiruntur, sensim eorum amorem in Novitiorum mentes insinuet, et ab obedientia ad reliquias gradum faciet. Modestiam apprime commendet, adeo religioso, et puberi, maturo etiam necessariam viro, ut donec ista splendet, saecularem suboleat personam; quae praesertim adolescentum est piaeclarum, et praecipuum ornementum. In qua comparanda, quia primum est cum multiplicibus passionum monstris collectandum, et mores saeculi resecandi; magno studio, et labore opus est. Sed ubi arduum deterret opus, ipse Magister dux praebeat, et suo salebrosam viam complanet exemplo, eam modestiam, et animi, et corporis compositionem praeferendo, quae possit Adolescentes ad illam assequendam incitare. Caeterum studiosius curet, ut Novitii Laici hac praecipue sint virtute insigne; nam cum soli plerumque domo egrediantur, et cum saecularibus agunt, nullo comite teste: facilius possunt aliquam sua immodestia religioni maculam inferre, et quod multorum diu peperit virtus, uno, vel altero actu disperdere. Quare saepissime erunt probandi, an animum hac virtute exco-

luerint: an se exterius composuerint, et efficacius suadendi, ut sive domi, sive extra ita se gerant, ac si ubique locorum divinus eos intuitus prospectaret, et timor eis Domini, veluti superior vigilantissimus moderaretur.

Modestiam nempe saeculares aspiciunt: ex illa sanctitatem religionis, et mores coniectant, quae vigeat disciplina: speculum mentis, ait D. Hieronymus, est facies, et taciti oculi cordis satentur arcana. Quia ex perfecta interiorum passionum compositione, et plane sedato sensum tumultu modestia proficiscitur. Non est difficile ab externis interna colligere, quod enim ebullit intus, foras exhalat.

Iuvabit maxime ad huius virtutis acquisitionem Sacrorum Librorum lectio, et studium assiduum rerum divinarum: quod enim corporis, et sensuum maceratione aliquando non possumus, continuo studio, et frequenti lectione consequimur, uti testatur D. Hieronymus, gralias ago Domino, quod de amaro semine litterarum dulces fructus carpo. Studia scilicet effervescentem iuvenili ardore sanguinem comprimunt, et vividores spiritus edomant frequentatae lectiones.

Hortetur praeterea Novitios, ut libenti, et hilari animo quascumque mortificationes amplectantur, quarum ope saeculi vanitates, quaecumque humana pessum dando, et nos ipsos despicimus, et aeternam felicitatem assequimur.

Nemo potest gaudere cum saeculo, et in coelo regnare cum Christo: certe post huius vitae gaudia sequentur lamenta aeterna, inquit Thomas a Kempis: Crux Christi est in religione ferenda, 'nec tam salutare pondus detrectandum, quod nihil aliud est, nisi iniurias

tolerare, lecti duritiem, calorem, et frigus, vigilias, labores, diu noctuque, famem, sitim, Superiorum acries obiurgationes, procul etiam criminis, quaecumque religionis incommoda libentissime perferre,

Quae primo aspectu durissima, nullum illis negotiis facessent, si ad ea praemia, quae sequentur, oculos animi convertent, et illud Cassiani documentum servabunt: qui interrogatus a quodam Novitio Monaco, quid sibi faciendum esset, ut in suscepto Monasticae vitae instituto perseverare posset, respondit: ita domi semper te habe, ut primo die, quo religionem professus es: nunquam domesticus officiaris, semper hospes recens in domum receptus tibi videare, quamquam fores vetustissimus inquilinus: ne liberiorem, ne solutiorem arbitreris; sic enim fiet, ut te nunquam pigeat laborum, obedire non recuses, aut submurmures, quod maiore, quam alii tibi pares, onere opprimaris.

Magnum quidem est, contra naturae propensionem, ac appetitus, contra pravos iam inolitos animo mores, contra seipsum inire certamen, et in tanto praelio fortiter depugnare, ac vincere, nisi diutissime certaminis discimus rationem, sed quo maior erit pugna, et periculosior, eo speciosor erit victoria. O grande spectaculum, exclamat B. Laurentius Iustinianus, triumphus gloriosus, mirabile prodigium, videre gratiam oppugnare naturam, et animum inniti adversum se.

Quare Magister Novitios, doceat, ut suae libenter se discipline, et regimini subjiciant, ut ipso duce de pernicioseissimo hoste triumphant, et omnibus virtutibus prodeant Deo largiente, instructi in campum. Ne timeant contra seipson decertare, sed magno ausu stricto, mortificationis gladio obviam eant; nam facile, idem inquit

B. Laurentius, animi sui vicerit efficitur, cum contra se pugnare non veretur.

Infinita paene sunt, quibus in spirituali disciplina Novitii essent eruditendi. Sed ea, ut facilius ediscantur, ad tria potissimum capita reducit Dionysius Areopagita, ad purgationem videlicet, illuminationem, et perfectionem.

Quia Magister primum debet Novitios, ubi habitum induerint religionis, ab omnibus peccatorum sordibus, saecularibus moribus, et maculis omnibus, quae illi adhaeserint, emundare, mortificando, poenas infligendo. Secundo ab eorum mentibus ignorantiae caliginem, proposito virtutum splendore, dispellere compendiariam ad virtutem viam, eis ostendendo regulas, constitutiones explicando, orationem, et meditationem praecipue, ceremonias, et caetera ad nostram Congregationem pertinentia eos docendo.

Nec ab hoc opere desistat, donec Christum, eiusque perfectam imitationem in eorum animis infixerit: ut cum Apostolo possit dicere: *Filioli mei, quos iterum partio, donec formetur Christus in vobis* (*Ad Gal. IV. 19*), et Novitiorum mentes ardentи erga Deum, et proximum charitate succenderit, qua inferiora omnia fastidientes soli Deo arctius adglutinentur.

Quod si probationis anno, non poterit Novitios ad huiusmodi perfectionem adducere, satis sit pro virili parte laborasse, ut eis perfectionis speciem obiceret, ac in eius amorem alliceret: fiet enim, iuvante Deo, ut progressu temporis, quod semel cognoverint, ac adamarint, consequi studiosissime emitantur.

Instruat ulterius quomodo possint iuveniles quoadam impetus compescere, propriorum scilicet operum

complacentiam, vanam gloriam, nobilitatis, divitiarum, dignitatum, parentum, familiae, splendoris domestici iactantiam.

Non siuat eos suos errores mendaciis obvolvere, aut aliquam praetexere excusationem: non alios eorumdem insimulare, aut culpam in socios reiungere: sed mortificationis, et reprehensionis gladio pravas vitiorum radices repente succidat: ne huiusmodi minoribus criminibus assueti, deinceps in graviora labentur.

Puritatem vitae maxime commendet, cuius studiosissimi sint, quam unice diligit Christus, et a religioso depositit.

Moneat bene de omnibus esse loquendum, praecipue de maioribus natu: edoceat a quoquecumque sumere documenta virtutum; et rerum scitu dignarum, quas dicerint, aut legerint, brevia, quae ad manum sint, seponere commentaria, et codicestexere, Sacrae Scripturae praesertim: cuius aliqua quotidie legenda esse D. Hieronymus, et Augustinus suadent: sacram, inquiunt, Scripturam avide legant, devote audiant, et ardenter addiscant. De rebus sacris, spiritualibus invicem dissenserere eos studeat. Denique veluti aurifex, ita juvenilium mentium pretiosissimas geminas expoliat, ut illum, quem induxit, nitorem, quandiu vivant, illibatum conservent: tenacissime enim haeredit id, quod primis annis educationis Adolescentes didicerint.

Absoluto probationis anno, antequam nostrae Congregationis nuncupent vota: sciscitabitur ab iis Magister, an velint perseverare, an illis placeat nostrum vivendi institutum, et disciplina: an saeculares adhuc aliquos retineant habitus, vel omnes prorsus exuerint: quantum Novitiatus anno in via spirituali profecerint.

Quod si viderit quemquam eorum parum in Christi schola didicisse, aut exiguo in virtutibus fecisse profectus: huius rei, quam fidissime, ac sincerissime, nullo modo odio, amore, aut favore suadente, superiores admoneat, et sciat, se magis religioni, omnium nostrum parenti, debere, quam quibuscumque rationibus humanis.

Si ad professionem admittantur, declaret iis, quibus se nexibus sint constricturi: quanti referat votorum obligatio: quod onus sint subituri: ne pronunciatis votis imprudenter in ipsa verum difficultatem: experientia ab instituto resiliant; satius enim est, inquit Urbanus tertius, non vorare, quam post votum, prout melius potest, non proficere.

Nam sicut religiosus status Deo gratissimus est, et maximi omnium aestimatur, et Christianae reipublicae utilissimus, ita neminem magis Deus detestatur, et punit, quam qui tam salutari vivendi instituto, ac plane caelesti relieto, ad mundum perfidissime transfigit Religionis nequissimus perduellis.

Quamobrem huius rei magnitudinis serio admoneantur Novitiil, ne cum lucernae debuissent in domo Dei usquequaque nitescere, extinetae fumum, ac foetorem exhalent, et evadant *sal illud infatuatum, quod ad nihil valet, nisi, ut mittatur foras, et conculceretur ab hominibus* (Matth. V. 43).

Totius anni probationis peccatorum maculas, quas contraxerint, generali confessione detergant, et ita se praeparent ad votorum nuncupationem, ut eum Deo sanctissime copulentur, et quamdiu vivant illi devotissime religiosum obsequium praestent, quo tandem Religionis defunctis laboribus aeternam felicitatem consequantur.

F I N I S.

NOS JOSEPH BESIO

PRAEPOSITUS GENERALIS

CLERICORUM REGULARIUM SOMASCHENSIUM

Cum recudi contigerit librum Constitutionum nostrarum pro Clericis primae et secundae probationis, Nos huius libri secundam partem Novitiorum Magistrum spectantem, attentis votis duorum ex nostris Patribus, quorum revisioni tradidimus, adprobamus, et ut typis mandetur facultatem concedimus.

Datum ex Nostro Collegio S. Mariae Magdalena Genuae pridie idus Maii anno 1865.

D. JOSEPH BESIO Praep. Gen.

D. JOSEPH MUTI C. R. S.

a secretis.

04298 8918201 207

and how well it's been used.

and other open houses.

S. A. STURM AND CO.

Volume 23

